Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

Bibliographische Daten

Titel:	Historische Sammelhandschrift, dt.Text: Beschreibung Jerusalems – Nürnberg, STN, Cent. III, 93
Signatur:	Cent. III, 93

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

magnum accipiat Europe in Hyspania occidentalis oceanus terminus
est maxime ubi apud Gades insulas Herculis columne visuntur et
Tyrreni maris faucibus oceani estus inmittitur. Affrice principium
est a finibus Egipti urbisque Alexandrie ubi Parethonium civitas
sita est super hoc mare magnum quod omnes plagas terrasque medias
interluit. inde per loca que accole Catabathmon vocant. haud pro-
cul a castris Alexandri magni. et super lacum Calearcum. deinde iuxta su-
periorum fines Avasitarum missa in transversum per Ethiopica deserta
meridianum tangit oceanum. Terminus Affrice ad occidentem idem
est qui et Europe id est fauces Gaditani freti. ultimus autem eius finis
est mons Athlas et insule quas Fortunatas vocant. Et quia breviter
generales tripertiti orbis divisiones dedi ipsarum quoque partium regiones sicut
pollicitus sum significare curabo. Asia ad mediam frontem orientis
habet in oceano Eoo ostia fluminis Gangis a sinistra promunctorium Cali-
gardamana cui subiacet ad eurum insula Taprobane ex qua oceanus
Indicus vocari incipit. A dextra habet Imavi montis ubi Caucasus
deficit promunctorium Samara. cui ad aquilonem subiacent ostia flu-
minis Ottorogorre. ex quo oceanus Sericus appellatur. In hiis finibus
India est que habet ab occidente flumen Indum quod Rubro mari
accipitur. a septentrione montem Caucasum. reliqua ut dixi Eoo et
Indico oceano terminatur. Hec habet gentes xliiii absque insula
Taprobane. que habet decem civitates et absque reliquis insulis habi-
tabilibus quamplurimis. A flumine Indo quod est ab oriente usque
ad flumine Tigrem quod est ab occasu regiones sunt iste. Aracosia. Parthia.
Assiria. Persida et Media. situ terrarum montuoso et aspero. Hee
a septentrione habent montem Caucasum. a meridie mare Rubrum
et sinum Persicum. in medio autem sui flumina precipua Idaspem et Arbim.
In hiis sunt gentes xxxii. Sed generaliter Parthia dicitur. quamvis scrip-
ture sacre universam sepe Mediam vocent. A flumine igitur Tygri usque
ad flumen Eufraten Mesopotamia est. incipiens a septentrione
inter montem Thaurum et Caucasum. cui ad meridiem succedit Babi-
lonia. deinde Caldea. novissime Arabia Eudemon. que inter sinum
Persicum et sinum Arabicum angusto terre tractu orientem versus ex-
tenditur. In hiis sunt gentes viginti viii. A flumine Eufrate
quod est ab oriente usque ad mare nostrum quod est ab occasu. deinde a
septentrione id est a civitate Dagusa que in confinio Cappadocie
et Armenie sita est haud procul a loco ubi Eufrates nascitur. usque ad
Egiptum et extremum sinum Arabicum qui ad meridiem longo an-
gustoque sulco saxis insulisque creberrimo a Rubro mari id est
ab oceano occasum vergens extenditur. Syria generaliter nominatur
habens maximas provincias Comagenam Phenicem et Palestinam